



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Secunda secundae Summa Theologiae

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

1 Cui obiecto innitatur præsumptio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72772)

similitudinem ad significandum utrumque theologikum, de quo est hic quaestio: unde praesumptionis uocabulum non solum a quo uocum est in usu iustitiam, & moralium, sed etiam in ipsa morali theologia a quo uocum est: Et propterea in corpore articuli huius utraque significatio exprimitur. Obserua igitur caute, de qua praesumptione sermo incidit.

In eodem 1. art. in responsione ad primum dubium occurrit, Quo pacto uerificatur, quod praesumptio dimittit diuinam uirtu em. Videtur enim quod praesumptiosus sperando ueniam sine penitentia, aut gloriam sine meritis, plus speret, non minus, quam conueniat Deo: quoniam plus est habere gloriam sine meritis, sicut habuit Christus, quam cum meritis, sicut habent alii: & maioris gratie effectus habere ueniam sine penitentia, ut habent paruuli in baptismo, quam cum penitentia. Non uidetur ergo uerum, quod praesumptuosus dum innititur diuinae uirtuti ad consequendum quod Deo non conuenit, dimittat diuinam uirtutem, sed potius eam auget in suo affectu, & effectu intento.

Ad hoc dicitur, quod cum diuina uirtus dupliciter consideretur, scilicet absolute, & ordinate, & hic non sit sermo de ea absolute, sed de ea ordinate, quia est sermo de iustitia diuina, quam praesumptio contemnit: (constat namque diuinam iustitiam ad potentiam Dei ordinatam pertinere, & haec duo uirtus opposita spei, scilicet, desperationem, & praesumptionem, ita Deum respicere, ut illa misericordiam, haec iustitiam contemnat) quia inquam, de uirtute Dei ordinata est sermo, & uirtus Dei a sua sapientia ordinata sic est, ut iustitia mediant: gloriam pro meritis, & ueniam pro penitentia fa-

ptionis, cui innititur. **¶** Secundo, Vtrum sit peccatum. **¶** Tertio, Cui opponatur. **¶** Quarto, Ex quo uicio oriatur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum praesumptio imitatur Deo, an proprie uirtuti.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quod praesumptio, quae est peccatum in Spiritu sancto, non innitatur Deo, sed proprie uirtuti. Quotum enim minor est uirtus, tanto magis peccat qui ei nimis innititur: sed minor est uirtus humana, quam diuina, ergo grauius peccat, qui praesumit de uirtute humana, quam qui praesumit de uirtute diuina: sed peccatum in Spiritu sancto est grauissimum. ergo praesumptio, quae ponitur species peccati in Spiritu sancto, inhaeret uirtuti humanae magis, quam diuinae.

¶ 2. Prat. Ex peccato in Spiritu sancto alia peccata oriuntur. Peccatum enim in Spiritu sancto dicitur malitia, ex qua quis peccat: sed magis uidentur alia peccata oriri ex praesumptione, qua homo praesumit de seipso, quam ex praesumptione, qua homo praesumit de Deo, quia amor sui est principium peccandi, ut patet per Augustinum. decimo quarto de ciuit. Dei. ergo uidetur quod praesumptio, quae est peccatum in Spiritu sancto, maxime innitatur uirtuti humanae.

¶ 3. Prat. Peccatum prouenit ex conuersione inordinata ad bonum commutabile: sed praesumptio est quoddam peccatum, ergo magis contingit ex conuersione ad uirtutem humanam, quae est bonum commutabile, quam ex conuersione ad uirtutem diuinam, quae est bonum incommutabile.

SED CONTRA est, quod sicut ex desperatione aliquis contemnit diuinam misericordiam, cui spes innititur, ita ex praesumptione contemnit diuinam iustitiam, quae peccatores punit: sed sicut misericordia est in Deo, ita etiam iustitia est in ipso. ergo sicut desperatio est per auersionem a Deo, ita praesumptio est per inordinatam conuersionem ad ipsum.

RESPOND. Dicendum, quod praesumptio uidetur importare quandam immoderantiam spei. Spei autem obiectum, est bonum arduum possibile. Possibile au-

tem est aliquid homini dupliciter. Vno modo per propriam uirtutem: alio modo non nisi per uirtutem diuinam. Circa utramque autem spem per immoderantiam potest esse praesumptio. Nam circa spem, per quam aliquis de propria uirtute confidit, attenditur praesumptio ex hoc, quod aliquis tendit in aliquod bonum, ut sibi possibile, quod suam facultatem excedit, secundum quod dicitur Iudith sexto. Praesumentes de se, humilias. Et talis praesumptio opponitur uirtuti magnanimitatis, quae medium tenet in huiusmodi spe. Circa spem autem, qua aliquis inhaeret diuinae potentiae, potest per immoderantiam esse praesumptio in hoc, quod aliquis tendit in aliquod bonum, ut possibile per uirtutem, & misericordiam diuinam: quod possibile non est. Sicut cum aliquis sperat se ueniam obtinere sine penitentia, uel gloriam sine meritis. Haec autem praesumptio est proprie species peccati in Spiritu sancto, quia scilicet per huiusmodi praesumptionem tollitur, uel contemnitur adiutorium Spiritu sancti, per quod homo reuocatur a peccato.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod sicut supra dictum est, peccatum quod est contra Deum, secundum suum genus est grauius ceteris peccatis. Vnde praesumptio, qua quis inordinate innititur Deo, grauius peccatum est, quam praesumptio, qua quis innititur propriae uirtuti. Quod enim aliquis innitatur diuinae uirtuti ad consequendum id, quod Deo non conuenit, hoc est diminueret diuinam uirtutem. Patet autem quod grauius peccat, qui dimittit diuinam uirtutem, quam qui propriam uirtutem superex-tollit.

AD SECUNDVM dicendum, quod ipsa praesumptio, qua quis inordinate praesumit de Deo, amorem sui includit, quo quis proprium bonum inordinate desiderat. Quod enim multum desideramus, estimamus nobis de facili per alios posse prouenire, etiam si non possint.

AD TERTIVM dicendum, quod praesumptio de diuina misericordia habet conuersionem ad bonum commutabile, in quantum procedit ex desiderio inordinato proprii boni: & auersionem a bono incommutabili, in quantum attribuit diuinam uirtuti, quod ei non conuenit. Per hoc enim auertitur homo a uirtute diuina.

Li. 14. c. ult. in principio, so. 5.